



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. IX. An visio Dei sit supernaturalis omni intellectui creabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

contra, ergo posset intellectus elicere talem entitatem sine illo modo, ergo per illam videret DEVM naturaliter, quia ille actus esset intellectio, ergo vel esset eiusdem speciei cum visione DEI, & sic constitueret videntem, vel esset alterius speciei, & sic non esset eadem entitas secundum substantiam. Denique interrogo, quis sit ille modus, qui additur illi entitati, vt faciat videre DEVM, qui nullo modo explicari potest, nisi sit differentia specifica actus, & hanc differentiam dicimus dare actui substantiam eius.

10. Posset autem aliquis dicere, vnum, & idem in substantia, & entitate esse lumen fidei, & gloriae, quod tamen differt in modo claritatis, vel obscuritatis, qui modi sunt accidentales illi entitati. Atque pari modo eundem actum secundum substantiam, qui in via est obscurus, & fidei, posse transire in visionem, per adiectionem claritatis, quae sit accidentalis modus illius actus. Quod si huic dicendi modo quis addat, actum fidei in via esse naturalem quoad substantiam, intelligi poterit hoc modo, entitatem visionis esse naturalem, & non constitui in esse visionis per specificam differentiam, & essentialiam, sed per accidentalem modum superadditum.

11. Hae verò dicendi ratio in primis supponit vnum fallum, scilicet actum fidei esse naturalem in substantia, imò inde potest retorqueri argumentum, quia iuxta sanam doctrinam actus Theologicarum virtutum, qui sunt via ad illam visionem consequendam, sunt supernaturales quoad substantiam, alias explicari non potest, quomodo sit gratia necessaria simpliciter ad singulos actus tales, ergo multo magis visio. Deinde absurdissimum est dicere, fidem, & visionem esse accidentales modos actus intelligendi, quia nulla maior diuersitas inter actus intellectus inueniri potest, cum vnus nitatur auctoritate dicentis, alius euentia ipsius rei, vnus repraesentet DEVM, sicuti est, & sit quid ditatua; & intuitiua cognitio illius, alius vero minime, sed solum obscura quaedam credulitas ex obedientia, & affectione voluntatis. Ac praeterea si ille essent differentiae accidentales, oporteret vnam speciem substantialem actus illis subesse, haec autem est inexplicabilis, vel lacus in materia de gratia tractandum est. Dicendum ergo est, actum illum videndi DEVM ex vi suae differentiae specificae, & essentialis, esse visionem DEI, ergo sicuti non potest creatura per vires naturae videre DEVM, ita neque efficere illum actum secundum speciem essentialem eius, ergo secundum illam esse supernaturalem, & hoc esse supernaturale quoad substantiam. Neque contra hoc occurrit difficultas alicuius momenti, quomodo enim actus sic supernaturalis possit elici ab intellectu, dicam infra.

CAPVT IX.

Vtrum visio DEI sit supernaturalis omnimodum intellectui, seu naturae intellectuali creabili.

1. Hae quaestio necessaria est ad reddendam solidam rationem veritatis stabilitae Capitulo praecedenti: & ideo hoc loco illam ponimus, licet alias tractari soleat de lumine gloriae sub hoc titulo, an possit esse connaturale alicui creaturae, & eadem tractari potest de gratia, & charitate, & de omnibus virtutibus per se infusis. Satis verò conuenienter tractatur de actibus, nam propter illos sunt habitus, eisque proportionantur, & reuera omnis illa quaestio pendet ex visione beata, nam in genere finis est quasi prima radix totius ordinis gratiae, omniumque supernaturalium donorum. Ratio ergo dubitandi est, Suarez: De Deo trinuno.

quia illa visio est limitata perfectionis, ergo nihil repugnat, vt possit creatura fieri, cui talis visio sit connaturalis, seu quae habeat virtutem sufficientem ad efficiendam illam. Atque idem argumentum fieri potest de lumine gloriae, illud enim finitum est, & vt dicemus, est connaturale principium huius visionis, quid ergo repugnat, quod fiat alicui intellectus tanta perfectionis, quantum est ipsum lumen gloriae, & quod fiat aliqua spiritalis substantia, cui sit connaturalis talis intellectus; ergo illi creaturae poterit esse naturalis visio DEI.

Dicendum nihilominus est; visionem beatam esse simpliciter, & absolute supernaturalem respectu omnis intellectus creabilis. Haec est sententia Diui Thomae 1. part. quaestio. 12. articulo. tertio. Quem fere omnes Theologi sequuntur. Et sumitur ex Diuo Augustino libro duodecimo de Ciuitate. capitulo. 1. ubi agens de creatura intellectuali dicit, posse fieri beatam visionem DEI, non quia creatura est, multae enim creaturae non sunt illius beatitudinis capaces, sed quia rationalis est. Quia vero creatura (inquit) est, hoc non ex se potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est. Ergo secundum Augustinum impotentia creaturae, vt suis viribus videat DEVM, ex hoc praeratio oritur, quod creatura est ex nihilo facta. Quae ratio procedit in omni natura creabili.

2. *Affertio. D Thom. August.*

Ratio à peste riori.

Scotus.

D Thom.

Deinde à posteriori est apud me valde probabile argumentum, quod de facto non est connaturalis illa visio alicui creaturae intellectuali, ergo signum est, hoc esse extra latitudinem earum perfectionum, quae possunt esse connaturales creaturae. Vnde recte Scotus in 2. distinctione. 5. quaestio. 9. dicit, rationabile esse tribuere Angelis omnem naturalem perfectionem intelligendi, nam si creatura aliqua naturalis hoc potest viribus suis, quae ratio reddi potest, cur inter Angelos nullus sit, qui hoc possit? Praecipue quia videntur esse in primo gradu, & ordine substantiarum creaturarum possibilium, sunt enim in gradu intellectuali, in quo est DEVS ipse, & confirmatur, quia vt dixit Diuus Thomas 1. part. quaestio. 50. articulo. 1. ad perfectionem vniuersi pertinet, vt constet omnium rerum gradibus & ordinibus, si autem esset possibile creatura, quae tantam vim haberet intelligendi, vt suis viribus posset intueri DEVM, esset in altiori gradu, & ordine rerum constituta, quam sint creaturae intellectuales, quae nunc sunt, sicut ordo gratiae est alius à toto naturae ordine, ergo pertinuisset ad vniuersi complementum, quod in illo esset talis gradus, vel ordo creaturarum, cum igitur hoc non sit valde probabile, signum est, non esse possibilem, non enim agimus de quacumque maiori nobilitate specifica, sed de nouo gradu, & ordine rerum.

At vero rationem à priori huius veritatis reddere, difficile est, & quoniam Scotus, Durandus & alij in reddenda Diui Thomae rationes impugnant, examinemus rationes à priori, quas ipsi afferunt. Nominales non reddunt alicui creaturae, nisi quia illa visio à solo DEO fieri potest per creationem. Sed in primis hoc sine probatione assumunt. Deinde in rigore falsum est, quia illa visio non à solo DEO fieri potest, sed etiam à lumine gloriae, & suo modo ab intellectu, vt infra dicitur, nec fit per creationem, sed educitur de potentia obedientia, à qua in fieri pendet. Tandem male inferet, quia non omnis forma, quae à solo DEO per creationem fieri potest, supernaturalis est, vt patet de anima rationali, & de scientia infusa Angelorum, quae licet vere non fiat per creationem, concreari dicitur. Cur ergo haec visio non potest etiam concreari? nec potest hoc esse debitum creaturae alicui possibili, sicut illa scientia est debita Angelo, vel sicut materia sic disposita, est debita creaturae, seu infusio animae? Vnde Maior 4. distinctione. 49. quaestio. 4. in fine, videns rationis insufficientiam, dubitat, non solum de

3. *In reddenda Diui Thomae rationes impugnant, examinemus rationes à priori, quas ipsi afferunt. Nominales non reddunt alicui creaturae, nisi quia illa visio à solo DEO fieri potest per creationem. Sed in primis hoc sine probatione assumunt. Deinde in rigore falsum est, quia illa visio non à solo DEO fieri potest, sed etiam à lumine gloriae, & suo modo ab intellectu, vt infra dicitur, nec fit per creationem, sed educitur de potentia obedientia, à qua in fieri pendet. Tandem male inferet, quia non omnis forma, quae à solo DEO per creationem fieri potest, supernaturalis est, vt patet de anima rationali, & de scientia infusa Angelorum, quae licet vere non fiat per creationem, concreari dicitur. Cur ergo haec visio non potest etiam concreari? nec potest hoc esse debitum creaturae alicui possibili, sicut illa scientia est debita Angelo, vel sicut materia sic disposita, est debita creaturae, seu infusio animae? Vnde Maior 4. distinctione. 49. quaestio. 4. in fine, videns rationis insufficientiam, dubitat, non solum de*

Handwritten notes in red ink on the right margin, including the words "D.V." and other illegible characters.

natura creabili, sed etiam de Angelis creatis, an possint per naturalem vim Deum videre, sed immerito de hac posteriori parte dubitat: habet enim firmitus fundamentum, quam sit humana ratio, scilicet, diuinam reuelationem. Vnde licet occasionem habuerit dubitandi de posteriore, seu postrema dubitatione, circa priorem, melius ex huius certitudine intulisset, priorem etiam non esse in dubium reuocandam.

4. *Ratio Scoti Scotus.* Secundo Scotus in 4. distinct. 49. quaest. 11. Licet disputet de intellectu humano, tamen idem significans de omni intellectu possibili, dicit, non posse habere actum huius visionis sibi connaturalem, quia ad eliciendam huiusmodi visionem, necessarium est, habere DEVM presentem in ratione obiecti, vel aliud, in quo Deus eminenter contineatur, sed DEVS in nulla alia re potest eminenter contineri: nec etiam est sufficienter praesens, quia licet per illapsum sit intime in quolibet intellectu, tamen non est praesens in ratione obiecti, nisi voluntarie se manifestet. Haec vero ratio partim assumere falsum videtur, partim petere principium. Nam circa illam distinctiuam, quam in maiori assumit, interrogo an fundetur in communi ratione visionis intuitiuae vt sic, vel in speciali ratione visionis DEI? Priori modo est falsa, nam vnus Angelus videt intuitiue alium, quamuis non habeat illum per se obiectiue praesentem, nec per aliquid eminentius illo, sed solum per speciem quandam intelligibilem, quae vim habet illum representandi: Si vero dicatur secundum, huius rei rationem non reddit, hoc enim inquirimus, quid sit speciale in illa visione, vt fieri non possit per speciem aliquam intelligibilem, quae sit connaturalis alicui intellectui creato. Quae difficultas maxime vrget contra Scotum, qui admittit, posse Angelum quidditatiue cognoscere DEVM per speciem, quam dicit esse naturalem, licet a solo DEO infundi possit. Deinde inquiri quid sit, DEVM esse praesentem obiectione intellectui, aut quid addat haec praesentia obiectiua ultra essentiam & illapsum incimum, & indistantiam entitatum? Aut enim est sermo de praesentia quasi actuali, & vitali, & haec fit per ipsam visionem, quia nihil aliud est habere rem in praesentia, quam videre illam, quomodo dicitur DEVS esse in omnibus rebus per praesentiam: dicere ergo in hoc sensu, DEVM non posse videri, quia non potest esse praesens: est petere principium. Aut per praesentiam intelligitur talis approximatio, seu coniunctio obiecti cum potentia, quae sufficiat ad videndum illud. Et in hoc sensu sine vlla probatione assumit Scotus, DEVM non esse posse sic obiectiue praesentem intellectui creato in actu primo, seu per actum primum tali intellectui connaturalem, nam haec coniunctio sufficienter fit per speciem intelligibilem, vt ostendit tacta difficultas.

Haec ratio non admittitur.

5. *Ratio Durandi Durandum.*

Tertio, Durandus in 4. distinctione 49. quaestione 2. agens etiam de intellectu humano similem fere habet discursum, alia quidem occasione, sed si legitimus est, hic locum habet. Quia intellectus humanus, inquit, non potest cognoscere DEVM nisi ex rebus sensatis, tamen potest extendi ratio ad omnem intellectum creatum, quatenus nullus intellectus creatus potest connaturali modo cognoscere DEVM, nisi per aliquam essentiam, & naturam inferioris ordinis ab ipso DEO: Per huiusmodi autem medium non potest videri DEVS prout in se est, ergo hoc impedimentum cognoscendi DEVM per huiusmodi medium non potest naturaliter amoueri, & ideo nulla creatura potest naturaliter videre DEVM, sed solum DEVS (inquit) potest se facere immediate praesentem intellectui. Haec vero ratio, nisi aliquid ei addatur ex ratione Diui Thomae iam tractanda, nihil probat. Nam licet verum sit, DEVM non posse videri, prout in se est,

Non probat haec ratio.

per medium cognitum inferioris ordinis, quia nullum est adaequate representans perfectionem DEI: tamen quod creatura non possit naturaliter cognoscere DEVM, nisi per huiusmodi medium cognitum, hoc non est euident, nisi in nobis tantum pro huius vitae statu, & tamen sine probatione assumitur in dicta ratione. Interrogo enim (eodem fere modo, quo processit circa rationem Scoti) quod creatura non possit cognoscere DEVM nisi per medium cognitum, an oriatur ex generali ratione cognitionis, seu visionis creatae. (Et hoc est aperte falsum: quia vnus Angelus aperte intuetur alium sine medio cognito, per speciem intelligibilem, quae vocatur medium incognitum: Vel oriatur ex propria ratione talis obiecti scilicet, DEI, & huius rationem quaerimus, quam Durandus non reddit.

6. Alij rationem reddunt ex eo, quod nulla creatura fieri potest impeccabilis per naturam suam, vt est communis sententia Theologorum, & consentanea sanctis Patribus, vt traditur in materia, de Angelis, & de gratia, at si esset creatura connaturaliter Deum videns, esset impeccabilis natura sua. Haec ratio probabilis est, tamen procedit magis ex creditis, quam ex sola ratione. Imo cum ratione agitur ad probandum illud principium, recurritur ad id, de quo modo agimus, quia re vera est vnicum fundamentum illius veritatis, & praeterea intelligi posset visio DEI connaturalis alicui creaturae per speciem sibi connaturalem, & tamen quod talis species, & visio non necessario darentur a principio creationis, sed iuxta dispositionem Auctoris naturae, & tunc posset creatura illa peccare illo tempore, quo non darentur ei visio Dei.

7. Tandem Diuus Thomas ad hoc confirmandum varias rationes adducit, contra Gentes, capit. 52. ex quibus vnus elegit 1. part. quaest. 12. artic. 4. & quaest. 5. artic. quinto. quae sic formari potest. D. Thom. Modus essendi DEI est altioris ordinis & rationis ab omni esse, seu modo essendi omnis creaturae possibilis, ergo intelligibilitas DEI est alterius rationis & ordinis ab omni modo cognoscendi connaturali cuiusque creaturae possibili, ergo a nulla videri potest per vires suae naturae: primum antecedens probatur, quia Deus in suo esse est actus purissimus, & simplicissimus, omnis autem creatura habet aliquam compositionem, & veluti materialitatem, si cum diuina puritate comparatur. Prima vero consequentia probatur, quia modus cognoscendi est accommodatus modo essendi, & similiter cognoscibilitas, seu intelligibilitas DEI est proportionata perfectioni eius in genere entis, ergo quo res habet in suo esse altioremodum essendi, eo est intelligibilis altiori modo, & e contrario, quod habet inferiorem modum essendi, eo est cognoscitua, seu intellectiua minus profecto modo, ergo ex modo essendi diuerso obiecti intelligibilis, & naturae intelligentis, recte colligitur eorum improporatio, vt vnus ab altero naturaliter cognosci non possit perfecte, & prout in se est. Quam rationem confirmat Diuus Thomas, inductione: & discursu facto in omnibus naturis cognoscentibus, & obiectis earum, vt clare videri potest citatis locis.

8. Confirmari praeterea potest ex principiis sumptis ex doctrina de Anima. Vnum est, omnem cognitionem fieri per aliquam abstractionem, seu aliquo modo immateriali, seu intentionali, & ideo etiam inter sensus ille est perfectior, qui habet modum operandi minus materialem. Alterum est, intellectum, vt sit omnium cognoscitius, requirere abstractionem in suo esse ab omni organo materiali, & corporeo: ergo sine dubio virtus cognoscendi, & modus eius est accommodatus modo essendi, seu puritati, & immaterialitati ipsius esse. Aliud principium

Amplius dicitur firmatur.

pium est, obiectum cognoscendum, debere abstrahi aliquo modo a materia, & ideo res materiales dicuntur intelligibiles in potentia, res autem immateriales intelligibiles actu, ergo etiam intelligibilitas Dei oritur ex actualitate, & puritate eius, ergo si modus existendi obiecti cogniti, seu cognoscibilis est diversus a modo essendi naturae cognoscantis, erit tale obiectum tali potentiae improportionatum, ut in se, & prout in se est, sine alio medio, naturaliter videri possit. Confirmatur haec eadem illatio, quia ut obiectum cognoscatur, debet uniri cognoscenti, aut per se ipsum, aut per aliquem alium actum, quod autem in alio recipiatur, est in illo ad modum eius, seu modo illi proportionato, ergo cognitio semper fit ad modum cognoscantis, ergo si talis modus sit inferioris ordinis, non poterit perfecte attingere rem ordinis superioris.

9. Hicario D. Thomae in 4. dist. 49. qu. 2. art. 2. summa omnium ad tria reuocatur. Primum est, quia sequitur, Angelum inferiori non posse videre superiorem, prout in se est, quia superior habet perfectiorem modum essendi. Secundum est, quia sequitur ne lumen gloriae posse habere vim connaturalem ad efficiendam visionem DEI, quia non est actus purus, sicut DEVS. Tertium est, quia perfectio, seu excellentia obiecti cognoscibilis non potest esse ratio, ob quam perfecte non possit cognosci a potentia, sub cuius obiecto comprehenditur, ut si lux solis comprehenditur sub obiecto visus, sola eminentia, & perfectio eius lucis non potest esse ratio, ob quam non possit videri a visu: quia cum ex ratione lucis sequatur ratio visibilis, potius per se loquendo, quo fuerit lux perfectior, eo erit visibilior. Vnde, si interdum videri non potest, id non est per se ex parte obiecti, sed per accidens, quia interuenit aliquod impedimentum, ut verbi gratia, quod praesentia talis lucis corrumpat organum sensus. At vero in praesentia DEVS comprehenditur sub obiecto intellectus creati, ergo ex eo, quod sit summe intelligibilis, ratione perfectissimi modi essendi non potest per se colligi, quod non possit perfecte intelligi a tali potentia, ergo reduci debet ad aliquod impedimentum per accidens. Hoc autem non est quia talis potentia laedatur a tali obiecto, quia non est in organo corporeo, quod laedi possit, nec ipsa in se est capax talis laesionis, neque obiectum est effectuum eius, ergo tota ratio huius impedimenti est, quia haec potentia non potest cognoscere illud obiectum, nisi per medium cognitum inferioris ordinis.

10. D. Thomae in 4. dist. 49. qu. 2. art. 2.

Nihilominus censeo rationem Diui Thomae optimam esse, quantum pro capacitate materiae adduci potest, quae in primis explicanda est in creaturis factis, & deinde facile intelligitur, eodem modo procedere in creaturis possibilibus. Quod enim nunc Angelus non possit intueri DEVM virtute naturali, prout in se est, non potest aliunde oriri quam ex imperfectione Angeli, & perfectione DEI, nam ex utroque capite inter se collato oritur improportio, nec alterum sine altero sufficeret. Quod patet comparando Angelum cum eadem imperfectione ad obiectum minus perfectum, quale est alius Angelus, vel comparando DEVM ad intellectum perfectum, qualis est diuinus per essentiam, vel per participationem diuini ordinis: nam inter haec non inuenitur improportio, oritur ergo impossibilitas ex imperfectione vnius comparata ad perfectionem alterius. Non sufficit autem ad hanc improportio quaecumque essentialis diuersitas rerum, ut per se notum est in Angelis: ergo oritur ex alio modo essendi DEI, in quo superat Angelicam naturam: hic autem modus non potest esse alius; Suarez: De Deo trinuno.

nisi summa puritas, & actualitas DEI comparata ad potentialitatem Angeli: Nam inde oritur, ut quicquid Angelus intelligit, concipiat ad modum, quod ipse est. Sicut Diuus Thomas sumit ex libro de causis, ratione 8. vbi dicitur, quod intelligentia intelligit omnia ad modum suae substantiae, quia illa est obiectum proportionatissimum intellectui eius, in quod primo, & per se feratur, vnde fit, ut aliarum rerum species intelligibiles recipiat iuxta modum suum, & sibi proportionatum. Atque hoc confirmari potest ex modo intelligendi hominis, nam omnia intelligit ad modum rerum materialium, quia per corpus species recipit.

D. Thom.

Vnde potest sumi confirmatio, quia si verum est, DEVM nullo modo posse videri per speciem creatam, sed solum per suam essentiam unitam per modum speciei, facile intelligitur, talem quali speciem, & quasi actum primam non posse esse connaturalem alicui creaturae intellectuali, quia est actus alterius ordinis, longeque eleuatus, qui cum ex se non ordinetur ad actuandam aliquam potentiam, non potest esse debitus alicui intellectui creato, ut recte Diuus Thomas quaest. octaua, de veritate artic. tertio. Et quamuis fortasse de potentia absoluta non repugnet, dari speciem creatam DEI, ut infra dicam, tamen ad vim huius rationis satis esse videtur, quod talis visio ex natura sua non postulet aliam speciem praeter ipsam essentiam, ut intelligamus, illam visionem non posse esse connaturalem illi intellectui, cui non est debita essentia diuina per modum speciei. Praeterea, etiam si admittamus dari talem speciem, quae possit representare DEVM, prout in se est, illa deberet esse proportionata perfectioni, immaterialitati, ac subtilitati obiecti representati, & ideo non videtur posse esse ita proportionata subiecto inferioris ordinis, ut fit etiam illi connaturalis, & ideo repugnat, actum, ad quem ordinatur talis species simul esse proportionatum tali obiecto, & commensuratum tali subiecto, ut fit connaturalis illi.

ii.

D. Thom.

Atque ex his facile est respondere ad obiectiones. Ad primam negatur sequela, nam Angeli licet differant in specie essentiali, tamen habent modum essendi, & compositionis, & immaterialitatis eiusdem ordinis, nam in omnibus illis est aliqua compositio, siue ex esse & essentia, siue ex natura, & supposito, siue ex genere, & differentia, siue ex subiecto, & accidenti. Et ideo quamuis vnuiusque Angelus cognoscat alium, iuxta modum suum, & per species sibi accommodatas, tamen potest illum clare, & intuitiue videre prout in se est. Sicut quamuis in ordine rerum materialium sit differentia maioris, vel minoris perfectionis, nihilominus quia omnes conueniunt in eodem modo essendi, aequae omnes cadunt sub cognitionem intellectus humani, quantum spectat ad modum cognoscendi. Vnde quia haec imperfectio, quae nunc est in natura Angelica, necessario esse debet in omni natura intellectiua creabili, ideo tam impossibile est hanc visionem esse connaturalem cuiusque substantiae creabili, quam naturae Anglicanae creatae: necesse est enim ut omnis creatura sit aliquo modo composita, & potentialis, & habeat alias imperfectiones, quarum ratio non sumitur in naturis Angelicis ex eo, quod tales sunt, sed ex eo praecise, quod creatae, & ex nihilo sunt.

Ad obiectiones Scoti. Ad primam.

STARE
in
D. V.

Ad secundam obiectionem de lumine multa dicenda sunt capitul. 12. nunc breuiter negatur con- frequentia, & similitudo. Et in primis notari potest haec differentia, quod lumen gloriae licet sit proximum principium visionis, non tamen integrum etiam ex parte potentiae cognoscentis, indiget enim concursu intellectus, & influxu animae vitali, qui nunc est instrumentalis, vnde in illa actione DEVS est principale operans, ut capite sequenti dicam.

Ad secundam

34. tam. At vero si esset aliquis intellectus creatus eiusdem ordinis cum lumine gloriae, vel esset substantia creata, vel facultas ab illa naturaliter manans, vnde in ordine suo esset sufficiens, & totale principium, & ipsa substantia esset principium principale proximum talis visionis, & ideo magis repugnat dari tale lumen connaturale creaturae, quam de super infusum. Deinde si lumen esset connaturale substantiae creatae, illi esset maxime proportionatum, eamque haberet pro obiecto maxime proprio, & quasi primario, id est, in quod per se primo tenderet, quia hoc est connaturale cuiuslibet intellectui respectu suae substantiae, vt ex dictis, & inductione constat. At vero lumen superadditum naturae, quod non est commensuratum imperfectioni subiecti, & naturae, in qua recipitur, sed obiecto, & diuino intellectui, cuius est singularis participatio, altioris ordinis est, & ideo habet pro obiecto proprio, & maxime proportionato ipsam essentiam DEI secundum se. Et propterea necesse est, vt tale lumen sit vltra debitum naturae creatae, & non sit illi commensuratum, sed naturae increatae, ad quam ordinatur.

14. *Obisio.*

Responsum aliquorum.

Impugnanti.

Respondetur obiectioni.

Dices: Fiat natura ipsa substantialis supernaturalis, vt simul possit lumen esse commensuratum illi obiecto, & vtrique suo modo connaturale in suo ordine. Respondent aliqui, non posse esse substantiam supernaturalem, quia non respicit subiectum, cui supernaturalis esse possit, sicut accidens. Sed contra, quia potest esse supernaturalis ex contraria habitudine, scilicet, quia illi sunt connaturalia accidentia, quae alijs substantijs sunt supernaturalia, vel potest dici supernaturalis, quia per suam substantiam participat modum operandi DEI, ita proprium illi, vt attingat DEVM ipsum, prout in se est. Sed nihil horum explicat, quomodo possit intelligi substantia supernaturalis. Nam ex eo, quod assumitur in priori replica, potius destruitur ratio accidentis supernaturalis ex sua specie, nam si alicui creatae substantiae, est naturale, eo ipso supernaturale non est: Nam si sufficit, quod multis inferioribus substantijs non possit esse connaturale, omnia accidentia propria superiorum substantiarum erunt supernaturalia, quia inferioribus substantijs non possunt esse connaturalia. Quod vero secundo loco dicitur, non declarat, cur illa substantia supernaturalis diceretur, vel respectu cuius, quia sola comparatio cum alijs substantijs in maiori perfectione non satis est, vt constat. Et praeterea id, quod ibi sumitur, impossibile est, vt ostendimus.

15.

Vnde vt esset substantia creata supernaturalis, deberet esse substantia, quae esset purus actus, quia sine hac perfectione non posset connaturaliter vniri DEO, prout in se est, in ratione obiecti cognoscibilis. Sicut ergo repugnat, substantiam esse creatam, & non habere eas imperfectiones potentialitatis, & compositionis, ex quibus oriri diximus, vt non possit idem lumen esse commensuratum tali substantiae vt subiecto, & DEO vt in se est vt obiecto: ita repugnat dari substantiam illo modo supernaturalem. Quia naturale esset illi substantiae, habere lumen commensuratum sibi, & ipsam respiciens vt obiectum maxime proprium, & consequenter non posset simul respicere DEVM ipsum secundum se. Vnde etiam reddi potest differentia ex proprio munere accidentis, & substantiae, nam substantia inferior non potest per ipsam participare id, quod est proprium superioris: habere autem essentiam diuinam pro obiecto visibili maxime proprio, & connaturali, est proprium Dei, quatenus substantia eius est intellectus eius, & ideo non potest conuenire substantiae creatae ex vi suae naturalis virtutis. At vero accidentia sunt instituta ad perficiendas substantias, & supplendum de-

fectus earum, & ideo per accidentia superaddita participare potest inferior substantia aliquo modo id, quod est proprium superioris. Eo vel maxime, quod in vnaquaquere primum fundamentum, & quasi mensura omnium proprietatum connaturalium est propria substantia, & ideo in ipsis terminis inuoluitur repugnantia, cum dicitur substantia supernaturalis. At vero accidentia adduntur substantiae, & quando ab extrinseco veniunt, non est necesse, vt omnino commensurentur imperfectioni eius, in qua recipiuntur, sed possunt esse participationes altioris naturae, & ex obiecto, vel aliunde habere perfectionem suam, non est igitur similis ratio.

Ad tertiam respondet primo Diuus Thomas quaestione 8. de verit. artic. 3. ad 5. imperportionem, & excellentiam obiecti esse sufficientem causam, vt a potentia debiliori perfecte attingi non possit. Deinde concedimus Durando, in qualibet re creata possibili interuenire illud impedimentum, quod non potest attingere DEVM nisi per medium cognitum: tamen radix huius impedimenti sumenda est ex eo, quod omnis creatura cognoscit naturaliter iuxta modum substantiae suae.

16. *Ad tertiam D Thom.*

CAPVT X.

Vtrum Visio DEI proxime fiat ab intellectu videns ipsum.

1. **Q**uoniam dictum est, visionem illam ita esse supernaturalem, vt non possit per naturales vires intellectus creati fieri, necessarium est exponere, quomodo, & per quae principia in illo & ab illo fiat, quae inquisitio optime praecedentem consequitur. Haec enim tractauimus quaestiones, an sit & quid illa visio, & ita substantiam, & essentiam illius visionis declarauimus, vbi sit, consequenter diximus de primario, & quasi formali obiecto eius quod est diuina essentia, prout est in se, de materiali vero dicimus infra tractando de formali effectu illius visionis. Sequitur ergo vt causas huius visionis explicemus. Et quidem de materiali, formali, & finali nihil est, quod dicamus: Nam materialis est intellectus, in quo recipitur visio, an vero aliquam dispositionem requirat, infra videbimus. Formalis est ipsa specifica differentia, seu quidditas talis visionis, & ad hanc etiam reducitur obiectum, vt speciem praebet. Finalis non est alia, quam ipsemet DEVS, imo illa visio finis omnium aliarum bonarum actionum, & earum merces est, vt in materia de Beatitudine traditur. Sola ergo efficiens causa superest declaranda. Supponimus autem, vt DEVM esse principalem auctorem illius visionis, vt prima, & vniuersalis causa est in ordine gratiae. Igitur solum dicendum nobis est de causa proxima, & primo, de intellectu ipso, deinde de donis supernaturalibus, vel principijs inuentibus, vel eleuantibus ipsum ad actum adeo perfectum elicendum.

In proposita ergo quaestione prima sententia simpliciter negat, intellectum efficere visionem, sed solum DEVM illum infundere: intellectum autem per illum videre, quia illum recipit, illaque informatur. Sic Scotus in 3. distinctione, 14. quaestione 1. artic. 2. & in 4. distinctione, 49. quaestione 1. Qui consequenter existimat probabile, in intellectu nihil supernaturale primum visioni infundi a Deo, quia intellectus se ipso est capax visionis per modum potentiae receptivae: neque ad hoc potest disponi, aut habilius reddi per aliquam supernaturalem qualitatem, de quo dicimus capitul. 12. Sic etiam Otham in 4. quaestione, 12. artic. 3. ad 2. & idem dixerat in 1. distinct. 1. quaestione, 2. & nihil fere discrepat Durand. in

2. *Sententia Scoti.*

Otham Durand.